

**A collaboration between**

**The Classical Association of Connecticut  
(ClassCONN)**

**and**

**The Department of Modern Language,  
Central Connecticut State University**

***Canamus Latine!***  
**Seasonal Music and Readings**



**Central Connecticut State  
University**

**The Modern Language Department at CCSU** offers a wide variety of language, culture and literature courses which not only provide students with an aesthetic appreciation of the representative languages, but also give them a better understanding of self, of other cultures, and of the complexities of human nature. The Modern Language Department assures the quality of its programs by having a faculty whose deep commitment to teaching and research is matched by their linguistic expertise and knowledge of their discipline.

**The Classical Association of Connecticut (ClassConn)** is the statewide organization for those interested in the Classics. It was formed:

to foster excellence in the teaching of Classical languages and civilizations in the schools, colleges, and universities of Connecticut;

to advance the study of Classical languages and civilizations and research therein, the diffusion of knowledge thereof, and the continuing education of teachers of such subjects; and

to sponsor student activities pertaining to classical languages and civilizations.

*Io, Saturnalia!*

**Tinnitus Tinnitus**  
(Jingle Bells)

Tinnitus, tinnitus, semper tinnitus!  
O tantum est gaudium  
    dum vehemur in tra-ha!  
Tinnitus, tinnitus, semper tinnitus!  
O tantum est gaudium  
    dum vehemur in traha!

Nantes per nives, in aperta trahea  
trans agros imus, omnes ridentes.  
Tintinni tintinnant animosi sic,  
laetissime nos canimus  
dum vehemur in traha! Oh...

**Somnio Candidum Nivem**  
(White Christmas)

Som-nio candidum diem,  
simil'eis quos noveram.  
Ecce! lucet arbor,  
natorum ardor,  
tintinnabul' in nive.

Somnio candidum diem,  
Dum omnem chartam inscribo.  
Dies tui ut clarescant,  
Candidae Nativitates sint.

***Canamus Latine!***  
***Seasonal Music and Readings***

**Program**

- |                    |  |
|--------------------|--|
| <i>Lectio I</i>    | Isaias VII.13-14; IX.2-7                                 |
| <i>Carmen I</i>    | <i>Veni, Veni Emmanuel</i>                               |
| <i>Lectio II</i>   | Horatius, <i>Epodos XVI</i><br>1-2, 15-16, 38-56, 61-66  |
| <i>Carmen II</i>   | <i>Audii Campanas Sonantes</i>                           |
| <i>Lectio III</i>  | Vergilius, <i>Ecloga IV</i><br>4-10, 15-20, 42-45, 60-63 |
| <i>Carmen III</i>  | <i>Serena Nocte Media</i>                                |
| <i>Lectio IV</i>   | <i>Evangelium Secundum Lucam II.1-7</i>                  |
| <i>Carmen IV</i>   | <i>O Urbs Pusilla Bethlehem</i>                          |
| <i>Lectio V</i>    | <i>Evangelium Secundum Mattheum</i><br>I.18-23           |
| <i>Carmen V</i>    | <i>Nox Silens</i>  |
| <i>Lectio VI</i>   | <i>Evangelium Secundum Lucam</i><br>II.8-14              |
| <i>Carmen VI</i>   | <i>Orbem Terrae Transvolate</i>                          |
| <i>Lectio VII</i>  | <i>Evangelium Secundum Lucam</i><br>II.15-20             |
| <i>Carmen VII</i>  | <i>Adeste Fideles</i>                                    |
| <i>Lectio VIII</i> | <i>Nox ante Christi Natalem Diem</i>                     |
| <i>Carmen VIII</i> | <i>Rudolphus Cervus Nasum</i>                            |

**Lectio I**  
**Isais, VII.13-14; IX. 2-7**

Et dixit: Audite ergo, domus David, Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.

Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis, Lux orta est eis. Multiplicasti gentem, et magnificasti laetitiam. Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe; sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia. Iugum enim oneris eius, et virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta praedatio cum tumultu, et vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis; Super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in Iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum; zelus Domini exercituum faciet hoc.

**O, Abies**  
(O, Christmas Tree)

O abies, o abies,  
Fidissima cum fronde,  
Virens aestatis tempore,  
Virens nivosa hieme,  
O abies, o abies,  
Fidissima cum fronde!

O abies, o abies,  
Tu mihi valde places:  
Quotiens natali tempore  
Delectavisti me fronde,  
O abies, o abies,  
Tu mihi valde places.

O abies, o abies,  
Veste tua me doces:  
Spes gignunt et constantia  
Semper vires, solacia;  
O abies, o abies,  
Veste tu me doces.



## **Ornate Ramosis Aulas**

(Deck the Halls)

Ornate ramosis aulas

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Nunc laetandum est omnibus

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Vestes varias sumamus

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Priscum carmen ut canamus

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Tintinabul' agitate

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Ut volantes sursum corda

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Aetas festiva propinquos

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Tulit ad larem canentes

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Novis dat nunc canities

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Pacem benevolentiae

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Donis Dei intersumus

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

Mensis plenis bonitatis

Fa-la-la-la-la la-la-la-la

**Veni, Veni, Emmanuel**  
**(O Come, O Come Emmanuel)**

Venī, venī, Emmānuēl;  
Captivum solve Isrāēl,  
Quī gemit in exiliō  
Prīvātus Deī Fīliō.  
Gaudē! Gaudē! Emmānuēl  
Nāscētur prō tē, Isrāēl.

Venī, Ō Iesse Virgula,  
Ex hostis tuōs ungulā,  
Dē specū tuōs tartarī,  
Ēdūc et antrō barathrī.  
Gaudē! Gaudē! Emmānuel  
Nāscētur prō tē, Isrāēl.

Venī, venī, Ō Oriēns;  
Sōlāre nōs adveniēns;  
Noctis dēpelle nebulās  
Dīrāsque noctis tenebrās.  
Gaudē! Gaudē! Emmānuel  
Nāscētur prō tē, Isrāēl.

Venī, Clāvis Davidica,  
Rēgna reclūde caelica,  
Fac iter tūtum superum,  
Et claude viās īnferum  
Gaudē! Gaudē! Emmānuel  
Nāscētur prō tē, Isrāēl

## **Lectio II** **apud Horati Epodon Librum, XVI**

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,  
    suis et ipsa Roma viribus ruit. (1-2)  
forte quid expediat communiter aut melior pars,  
    malis carere quaeritis laboribus; (15-16)  
vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,  
    Etrusca praeter et volate litora.  
nos manet Oceanus circum vagus: arva beata  
    petamus, arva divites et insulas,  
reddit ubi cererem tellus inarata quotannis  
    et inputata floret usque vinea,  
germinat et numquam fallentis termes olivae  
    suamque pulla ficus ornat arborem,  
mella cava manant ex ilice, montibus altis  
    levis crepante lympha desilit pede.  
illic iniussae veniunt ad mulctra capellae  
    refertque tenta grex amicus ubera  
nec vespertinus circumgemit ursus ovile  
    nec intumescit alta viperis humus;  
pluraque felices mirabimur, ut neque largis  
    aquosus Eurus arva radat imbribus,  
pinguia nec siccis urantur semina glaebis,  
    utrumque rege temperante caelitem. (38-56)  
nulla nocent pecori contagia, nullius astri  
    gregem aestuosa torret impotentia.  
Iuppiter illa piae secrevit litora genti,  
    ut inquinavit aere tempus aureum,  
aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum  
    piis secunda vate me datur fuga. (61-66)

Haud verbum dixit, sed statim laboravit,  
Omnesque soccos complevit et subito se vertit.  
Tunc digitum iuxta nasum ponens,  
Annuit et ductum fumarium scandit.  
Dein saluit in traham, cervisque sibilo signum dedit.  
Ac omnes velut pappus cardui evolaverunt.  
Sed ante e conspectu ierant, audivi ductorem clamantem,  
"Felix Dies Nativitatis omnibus omnibusque bona Nox."

(selected and adapted from a translation by Chris Jones)

**Rudolphus Cervus Nasum**  
(Ruldoph the Red-Nosed Reindeer)

Rudolphus cervus nasum  
rubicundum habebat  
Quem si videre possis  
elucere referas  
Ludificare cervi  
deridentes solebant  
Neque sinebant eum  
comminus colludere

Ecce, dixit Nicholas  
pridie Festum:  
"O Rudolphe, nocte hac  
visne traham ducere?"  
Quam tunc iucundus fuit  
cervis iubilantibus!  
"Rudolphe" nunc dicebant,  
"notus eris posteris."

**Lectio VIII**  
**Nox ante Christi Natalem Diem**  
(The Night before Christmas)

Nox ante Christi diem natalem erat totamque per domum  
Bestia nulla movebat, ne mus quidem unus.  
Ad focum erant socci suspensi magna cum cura  
Venturi causa mox ibi Sancti Nicholai.  
Nati in lectis recubabant, dum pruna dulcia  
In capitibus eorum salire videbantur.  
Mater amictorium gestans et ego galerum nocturnum  
Uti longo somno hiberno cum maxime coeperamus.  
Tunc subito ex gramine magnus clamor exortus.  
Ast oculis apparebat --mirabile visu--  
Traha minuta bis quadruplis cervis pusillis ducta  
Quibus nomina erant Cursor, Saltator, Persultor, Vulpes,  
Comans et Eros, Brontea et Fulmen.  
Cum plena ludibriis traha et Sancto Nicholao quoque  
Tectis assiliunt. Deinde Sanctus Nicholaus.  
Ductu fumario cum saltu descendit.  
Ille villis a vertice ad calces volutus;  
Vestimenta cinere atque fuligine fusca erant.  
In tergo saccum donis pluribus ingens trahebat.  
Quam oculi eius micabant; gelasini quam hilares!  
Nasus ut cerasus, utraque bucca rosa.  
Os parvum lepidumque velut nexum subductum.  
Barba menti candidior nive erat.  
Harundo fumifer compressis ab dentibus exibat,  
Atque fumus coronae similis eius caput cingebat.  
Huic lata facies et venter parvus rotundusque,  
Qui quatiebatur sicut crater plenus iuris congelati  
ut ille ridebat.  
Largus et pinguis, ipse enim pumilio jocularis erat  
Ad speciem risi meo more cadente.  
Tum mihi nictavit et suum caput versit,  
Quapropter sensi nulla mihi timenda.

**Audii Campanas Sonantes**  
(I Heard the Bells on Christmas Day)

Audii campanas sonantes  
carmina Christi vetera  
et verba fera dulciaque  
“Pax in terra omnibus.”

Sensi hoc die natali  
Ubique omnia organa  
volvisse carmen perpetuum  
“Pax in terra omnibus.”

Tum desperans caput demisi  
“Non pax in terra,” dixi,  
“nam odium forte irridet  
“Pax in terra omnibus.”

Campanae gravius sonant,  
“Deus non perit nec dormit!  
Nefas cadet, fas pervincet!  
Et “Pax in terra omnibus!”

**Lectio III**  
**apud Vergilium Ecloga IV**  
4-10, 15-20, 42-45, 60-63

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;  
magnus ab integro saeculorum nascitur ordo:  
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;  
iam nova progenies caelo demittitur alto.  
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum  
desinet ac toto surget gens aurea mundo,  
casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.

ille deum vitam accipiet, divisque videbit  
permixtos heroas, et ipse videbitur illis,  
pacatumque reget patriis virtutibus orbem.  
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu  
errantis hederas passim cum baccare tellus  
mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.

nec varios discet mentiri lana colores:  
ipse sed in pratis aries iam suave rubenti  
murice, iam croceo mutabit vellera luto;  
sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos

Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem,  
matri longa decem tulerunt fastidia menses.  
Incipe, parve puer, cui non risere parentes,  
nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

## **Adeste, Fideles**

(O Come, All Ye Faithful)

Adeste, Fideles,  
Laeti triumphantes  
Venite, venite in Bethlehem  
Natum videte  
Regem angelorum  
Venite adoremus, Venite adoremus,  
Venite adoremus Dominum

Cantet nunc io  
Chorus angelorum  
Cantet nunc aula caelestium  
Gloria, gloria  
In excelsis Deo  
Venite adoremus, Venite adoremus,  
Venite adoremus Dominum

Ergo qui natus  
Die hodierna  
Jesu, tibi sit gloria  
Patris aeterni  
Verbum caro factus  
Venite adoremus, Venite adoremus,  
Venite adoremus Dominum



**Lectio VII**  
**Evangelium Secundum Lucam**  
II.15-20

Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in caelum, pastores loquebantur ad invicem: “Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.” Et venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio. Videntes autem notum fecerunt verbum, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus, quae audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

**Serena Nocte Media**  
(It Came Upon a Midnight Clear)

Serena nocte media  
Delapsi de caelis  
Insigne illud angeli  
Psallerunt citharis:  
“In terra pax et gratia  
Dei benevoli;”  
Quiescit orbis reverens  
Dum canunt angeli.

Bis mille annos egimus  
Ex illo cantico,  
Discordia et scelere  
Plenos miserrimo;  
Bellantes semper homines  
Sunt cantus inscii;  
Iam rixas intermittite  
Dum canunt angeli.

Adventat tempus aureum,  
Annis volventibus,  
Iam pridem quod praedictum est  
A sanctis vatibus,  
Cum Pacis Princeps praeerit  
Refecto huic orbi,  
Omnesque reddent homines  
Quae canunt angeli.

**Lectio IV**  
**Evangelium Secundum Lucam**  
**II.1-7**

Factum est autem, in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est praeside Syriae Cyrino; Et ibant omnes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi, uxore praegnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum; et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio.

**Orbem Terrae Transvolate**  
(Angels We have Heard On High)

Orbem terrae transvolate,  
o caelestes nuntii;  
Christo nato nunc cantate  
Ut primordiis mundi;  
Gloria in excelsis deo.  
Gloria in excelsis deo.

Et pastores, excubantes  
Inter greges per agros,  
Novam Lucem prospectantes,  
Deum ipsum apud nos;  
Gloria in excelsis deo.

Magi, astra ne servetis:  
Clariora emicant;  
Stellam illius videtis  
Gentes quem desiderant;  
Gloria in excelsis deo.

Sancti, iam diu oratis  
Ad altare dubia spe;  
Dominus quem exspectatis  
Statim aderit in aede.  
Gloria in excelsis deo.

**Lectio VI**  
**Evangelium Secundum Lucam**  
II.8-14

Et pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigiliis noctis supra gregem suum. Et angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Domini circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: “Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.” Et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium: “Gloria in altissimis Deo, et super terram pax in hominibus bonae voluntatis.”

**O Urbs Pusilla Bethlehem**  
(O Little Town of Bethlehem)

O urbs pusilla Bethlehem,  
quam placide dormis,  
sopore alto obruta  
tranquillis sub astris.  
At has per vias caecas  
lux splendet aeterna;  
curarum adest hominum  
levamen, spes nostra.

O sancte Iesu, et ad nos  
descende hodie;  
purgata nostra pectora  
in, precamur, te.  
Audimus illa laeta  
canentes angelos:  
Renascere, Emmanuel,  
maneque apud nos.

**Lectio V**  
**Evangelium Secundum Mattheum**  
I.18-23

Iesu Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens: “Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.” Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur id, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: “Ecce, virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel,” quod est interpretatum Nobiscum Deus.

**Nox Silens**  
(Silent Night)

Nox silens, sancta nox!  
En, tranquilla omnia!  
Cubat virgo cum nato mater.  
Infans sancte, mollis, tener,  
dormi tu placide,  
dormi tu placide!

Nox silens, sancta nox!  
Circumfulget gloria!  
Primi pastores sentiunt.  
Angeli 'Alleluia' canunt:  
"Christus salvator adest,  
Christus salvator adest!"

Nox silens, sancta nox!  
Nati Deo e vultu  
clare verus amor lucet.  
Spes salutis nobis adfulget,  
Natu, Jesu, tuo,  
natu, Jesu, tuo!